

THESIS XIV.

Fides explicita in Deum existentem et remuneratorem supernaturalem fuit quovis tempore necessaria necessitate medii in re.

94. Haec thesis, ait Platelli (1), quatenus dicit in Deum existentem i. e. sub ratione unius primi principii summe veracis (aliter ejus testimonium non fundaret fidem) est omnino certa contra erroneam opinionem, quae tribuitur Guillelmo Parisiensi, Altisiodorensi, docentem simplicioribus sufficere ad fidem, eam, qua credant quidquid credit Ecclesia; quatenus addit supernaturalem est communis contra Molinam et alios volentes sufficere fidem de Deo remuneratore, abstrahendo a supernaturali et naturali (2).

Prob. 1.^o Propositione 22 ab Innocentio XI damnata: «Non nisi fides unius Dei necessaria videtur necessitate medii, non autem explicita remuneratoris.»

2.^o Paulus proponens (3) ea sine quibus *impossibile est placere Deo* per fidem, *credere enim*, ait, *oportet accedentem ad Deum quia est, et inquirentibus se remunerator sit*; quod autem agatur de remuneratore supernaturali expressit Apostolus fidem definiens (4): *sperandarum substantia rerum*; sed res sperandae sunt bona supernaturalia nobis proposita et promissa; ergo... *Min. prob.* Ex eodem Apostolo, qui in eodem loco (5) exempla proponit Patriarcharum sperantium ex fide bona supernaturalia: *alii autem distenti sunt, non suscipientes redemptionem, ut meliorem invenirent resurrectionem. Et hi omnes testimonio fidei probati non acceperunt repromissionem.* Confirm. ex iis, quae scripsit ipse Apostolus ad Corinthios (6): *oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quae praeparavit Deus iis, qui diligunt illum: nobis autem revelavit Deus per Spiritum suum*; et ex aliis testimoniis tum Scripturae, tum Patrum, quae in thesi praecedenti adduximus; nam loquuntur de fide circa res supernaturales.

3.^o Ratione: a) Innuente D. Thoma (7), Deus est objectum beatitudinis, seu finis ultimus in quem tendimus; tendimus autem per fidem; ergo primum omnium est necessaria fides illius objecti, quod est Deus. b) Diximus fidem necessariam debere niti in aucto-

(1) Synop. De fide, n. 269.—(2) P. Hurter Theolog. dogm. comp. Vol. III, n. 165 notat non esse: «necessarium credere Deum remuneratorem per praemia supernaturalia explicita et reflexe, dummodo ne credatur remunerator tantum naturalis: haec enim fides foret falsa.»—(3) Hebrae, XI, 6.—(4) Ibid. v. 1.—(5) Ibid. vv. 35-39.—(6) 1.^a 11, 9-10.—(7) 2, 2, Q. 2, a. 5 in θ.

ritate Dei; sed impossibile est credere aliquid auctoritate divina nisi credatur Deus ipse, nam intrinsece includitur in ipso objecto formali: ergo necesse est hanc fidem primo esse de ipso Deo. c) Fides praecipue necessaria est propter charitatem et spem, quibus, ut loquitur Tridentinum (1): «Deum tamquam omnis justitiae fontem diligere incipiunt» primo justificandi: ergo et Deum primo per fidem cognoscere debent. Confirm. Ad salutem necessarium est diligere Deum ut supernaturale bonum, et sperare illum et in illo spe infusa et supernaturali, docente eodem Tridentino (2): «Fides nisi ad eam spes accedat et charitas neque unit perfecte cum Christo, neque corporis ejus vivum membrum efficit.» Ergo necessaria est ad hosce voluntatis actus fides, per quam Deus proponatur ac proinde cognoscatur ut remunerator sub aliqua ratione supernaturalis.

THESIS XV.

Fides explicita Incarnationis et SS. Trinitatis, etiam in lege nova, probabilius solum est necessaria necessitate medii in re vel in voto, quod in fide Dei remuneratoris supernaturalis continetur.

95. Nota. I. Jam supra (Thess. III) loquuti sumus de fide explicita et implicita; nunc fidem explicitam dicimus eam, qua objectum creditur in se et sub sua ratione propria; implicitam seu confusam e contra eam dicimus, qua objectum in alio universali vel materiali objecto contentum creditur. Distingui possunt cum Eximio (3) varii gradus fidei implicitae et explicitae Mediatoris Christi Jesu: a) in quo Deus creditur ut justificator et salvator hominum, per media a sua providentia disposita; b) in quo etiam creditur aliquis Redemptor seu Mediator inter Deum et homines, ignorando, an ille Mediator futurus esset Deus et modum quo homines salvaret; c) in quo praeterea cognoscatur divinitas Redemptoris, ignoretur tamen modus redemptionis; d) in quo cognoscatur Christus et verus Deus et verus homo, qui per passionem, mortem et resurrectionem suam consummaverit redemptionem; hic gradus est absolute et perfecte fidei explicitae.

II. Contineri ut votum in aliquo significat illud quod in re deest suppleri per virtutem alterius tamquam quid positive necessarium ad salutem, non tamquam aliquid removens simpliciter impediens salutem; hinc cum dicimus fidem Incarnationis et SS. Trinitatis in

(1) Sess. 6, cap. 6.—(2) Sess. 6, cap. 7.—(3) De fide, D. 12, sect. 3, n. 16.

fide Dei remuneratoris supernaturalis contineri, significamus fidem horum articulorum, aut ejus votum concurrere non solum negative ut fides aliorum articulorum v. g. B. Virginem fuisse sine labe conceptam, sed etiam positive tamquam dispositio positiva, ex divina ordinatione ad justificationem saltem primam, praerequisita eodem modo, quo Baptismus et contritio sunt media in re vel in voto necessaria (1).

III. De necessitate fidei Incarnationis ac consequenter SS. Trinitatis, quam fides explicita Incarnationis importat, plures sunt sententiae: a) quae exigit fidem Christi explicitam in quarto gradu pro omni tempore; paucos habet sectatores: b) quae cum Valentia et aliis exigit fidem Christi penitus explicitam pro tempore Novi Testamenti, non autem pro tempore Veteris Testamenti: c) quae cum S. Bonaventura, Scoto, Becano, etc., statuit tempore Veteris Testamenti fuisse necessariam fidem Mediatoris explicitam secundo gradu; tempore vero Novi Testamenti esse necessariam in quarto gradu: d) singularis Cani et Bannezii, quae, ut videtur sine fundamento docet, fidem omnino explicitam Christi nunc quidem esse necessarium ad salutem seu gloriam consequendam, non autem ad ipsam justificationem: e) Suarii, Lugonis aliorumque minime contraria, sed potius conformis D. Thomae ut ex difficultatibus patebit, quae est nostra.

96. Fidem Incarnationis et SS. Trinitatis non esse semper necessariam in re, dicit de Lugo (2), fuisse sententiam suo tempore communem. Layman (3) ait, esse saltem aequae probabilem ac contrariam.

Prob. 1.^o Negative: quia tam gravis necessitas credendi explicitae Incarnationis mysterium, nec ex Scriptura, nec ex Patribus, ut constabit ex difficultatibus, nec ex alio medio potest ostendi; Paulus enim, ut vidimus in thesi praecedente, solum requirit fidem Dei existentis et remuneratoris: ergo non est alia necessitas in re asserenda, saltem pro aliquo casu, in quo fides Incarnationis sit impossibilis. Agitur enim de re, a) quae non exigitur ex natura rei, cum ad justificationem perfectam seu charitatem perfectam supernaturalem sufficiant duo articuli a Paulo promulgati; b) positiva, quae tota pendet a lege Dei, quae si non probatur non est imponenda.

2.^o Ex incommodis: a) Non possunt omnes articuli fidei simul tradi; ponatur ergo catechumenus, qui postquam credidit Deum

(1) Platelli. Synop. De fide, n. 269.—(2) De fide, D. 12, n. 91.—(3) L. 2, tract. 1, c. 8, n. 5.

esse et supernaturalem remuneratorem esse, atque attritionem de peccatis elicit, incidat subito in morbum et defectum sensuum aut amentiam: talis debet plane baptizari: ergo debet salutem posse consequi absque explicita reali fide in Christum. Pariter si quis in sylvis enutritus, nihil de Christo audisset et legem naturalem servasset; postea autem illuminaretur, ut agnosceret Deum supernaturalem remuneratorem, actum perfectae charitatis posset habere. Ergo justificaretur. *Min.* neganda non est, nam dicere Deum tali homini non daturum auxilium ad charitatem quoadusque fuerit instructus in mysteriis Incarnationis et SS. Trinitatis neque esset: a) conveniens bonitati divinae, quia restringeretur benignitas Dei in lege nova prae antiqua; β) neque consentaneum rationi inducere miraculum, ad notitiam horum articulorum ingerendam, cum talis notitia non probetur necessaria in re ad salutem.

b) Inter ipsos christianos reperiuntur aliqui ita rudes, ut ista mysteria vero conceptu apprehendere non videantur, ac proinde neque explicitate credere; imo id affirmandum videtur de mutis et simul surdis a nativitate, qui difficulter per signa a verbis distincta vix aut ne vix quidem verum conceptum SS. Trinitatis, cui nihil in mundo vel a longe est simile, efformare poterunt; et tamen isti homines si adulti sint, fidem necessariam necessitate medii habere debent. Ergo non est credibile Deum, *qui omnes homines vult salvos fieri, et ad agnitionem veritatis venire* (1), instituisse ut fides explicita mysteriorum adeo sublimium esset medium absolute necessarium ad justificationem et salutem (2).

97. Esse tamen saltem in voto, prob. Fides in Christum fuit aliquo modo quovis tempore necessitate medii necessaria ad salutem consequendam. Sed non est, nec proinde semper fuit necessaria in re, ut modo probatum est. Ergo fuit et est solum necessaria in re vel in voto. *Maj.* est Suario (3) absolute de fide tum contra judaeos, qui non credebant Messiam futurum redemptorem, tum contra pelagianos, qui dixerunt, Christum non profuisse justis, qui eum praecesserunt (4). Probatur:

1.^o Illis sacrae Scripturae eloquiis, quae salutem omnium hominum per fidem in Christum obtinendam praedicant; sic S. Pe-

(1) I.^a Timoth. II, 4.—(2) «Sane opinio, ait Lugo (D. 12, de fide, n. 92), »ex qua illud sequitur, liceat alioquin ad cathedram probabilis sit; ad praxim tamen et ad rusticorum conscientias tractandas durissima est. Quos etsi millies »doceas Incarnationem, toties obliviscuntur, quae audierunt, nec poterunt cras, »si rogentur, reddere rationem. Non ergo credibile est, horum justificationem »dependere semper tamquam a medio necessario a notitia explicita Incarnationis.» — (3) De fide, D. 12, sect. 3, n. 12.—(4) S. Augustinus. L. 2, de pecc. origin. cc. 2, 6.

trus (1) *repletus Spiritu sancto* dixit ad judaeos de Jesu: *Hic est lapis, qui reprobatus est a vobis aedificantibus, qui factus est in caput anguli; et non est in aliquo alio salus. Nec enim aliud nomen est sub caelo datum hominibus, in quo oporteat nos salvos fieri.* Paulus ad Corinthios (2): *Nolo enim vos ignorare, fratres, quoniam patres nostri... omnes eundem potum spiritalem biberunt (bibebant autem de spiritali, consequente eos petra; petra autem erat Christus),* «qui, ait S. Chrysostomus (in h. l.) semper eis praesens »aderat et omnia mirabiliter operabatur, ideo quoque dixit: de con- »sequente petra.» Ergo quamvis in figura eadem fide et ex eadem petra, qui erat Christus, salutem hauriebant judaei. Ad Romanos (3): *Justitia autem Dei, (quam praemittit testificatam fuisse a lege et prophetis) per fidem Jesu Christi in omnes et super omnes, qui credunt in eum.* Pro lege nova potest specialiter confirmari ex legatione Apostolis commissa (4): *Praedicate Evangelium omni creaturae Qui crediderit, et baptizatus fuerit, salvus erit; qui vero non crediderit, condemnabitur.* Nam Evangelium est potissimum et quasi antonomastice fides Christi et SS. Trinitatis, ut ex forma Baptismi colligitur (5): *baptizantes eos in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti:* et fides Evangelii ponitur aequae necessaria ac Baptismus. Sed iste est necessarius in re vel in voto, ergo et illa quoad suos articulos, ut ita dicam, fundamentales et essentielles.

2.º Concil. Tridentinum (6) docet: «impium justificari... »per redemptionem, quae est in Christo Jesu,» et antea de peccato originali definiverat (7): «Si quis hoc Adae peccatum... per aliud »remedium asserit tolli, quam per meritum unius mediatoris Domini Nostri Jesu Christi, qui nos reconciliavit Deo in Sanguine »suo, factus nobis justitia, sanctificatio et redemptio... anathema »sit.» Sed non apparet quomodo Christus fiat justitia, sanctificatio et redemptio eorum, qui Christum explicite nescientes, possunt salvari per fidem Dei remuneratoris, nisi dicatur in hac tamquam in voto contineri fidem Christi. Ergo... Ratio *minoris* est, quia verba concilii non tantum dicunt justificationem nostram esse effectum meritorum Christi, sed ipsam quodammodo justitiam Christi per participationem, applicationem virtutis, quam «ipse Christus Jesus, tamquam caput in membra, et tamquam vitis in pal- »mites in ipsos justificados jugiter (8)» influit.

3.º Ratio desumitur ex ordinatione divina, qua supposito peccato statuit Deus redimere omnes homines per Christum: et ideo in honorem ejus voluit homines non salvari, nisi per fidem ipsiusmet

(1) Act. IV, 11, 12.—(2) I.º X, 1, 4.—(3) III, 22.—(4) Marc. XVI, 15, 16.—(5) Matth. XXVIII, 19.—(6) Sess. 6, cap. 6.—(7) Sess. 5, can. 3.—(8) Triden. sess. 6, cap. 16.

Christi; *quem proposuit Deus propitiationem per fidem, in sanguine ipsius* (1). In eodem sensu sunt plures Patres apud Suarium (2), quorum unius S. Ignatii M. (3) sufficiat testimonium: «Omnes »sancti salvandi sunt per Christum, in eum sperantes, atque ipsum »spectantes.»

98. Votum contineri in fide reali remuneratoris supernaturalis declaratur; etenim post lapsum hominis Deus non intelligitur remunerator nisi sit salvator; salvator autem est, quia: Christus (4) *est propitiatio pro peccatis nostris: non pro nostris autem tantum, sed etiam pro totius mundi.*

99. Obj. 1.º Si fides explicita unius Dei esset ad salutem necessaria sequeretur eum, qui erraret in aliquo attributo Dei, non posse habere fidem necessariam ad salutem. Sed hoc videtur plane falsum. Ergo... *Maj.* prob. Nam qui sic errat verum Deum non agnoscit.

Resp. *Dist. maj.* Sequeretur non posse habere necessariam fidem eum, qui erraret infidelitate culpabili; conc. Errore tantum inculpabili, unitati Dei non opposito; neg. Et juxta hunc ultimum sensum nego rationem additam. Aliud, enim est, ait Suarius (5), Deum cognoscere, aliud credere fide infusa. Secundum prius potest aliquo modo cognosci Deus verus etiamsi in aliquo attributo ejus erretur, sic credens Deum esse ens supremum, unicum, non tamen v. g. liberum ad extra, adhuc verum cognoscit Deum. Ratio est, quia Deus licet in se sit simplex, a nobis cognoscitur per varios conceptus ad modum entium corporeorum, et ideo potest unum judicium de Deo esse verum licet aliud sit falsum, quia neque propriam contradictionem inter se includunt, neque inter se conjunguntur ad fingendum falsum Deum. Unde ulterius concluditur etiam secundum posterius seu secundum fidem posse credi verum Deum, quamvis concomitanter ad eam, per ignorantiam inculpabilem, aliquid falsum de illo mente cogitetur. Dicitur errore inculpabili; nam si proveniret ex haeresi seu culpa infidelitatis, licet cognitio, quae ante erat fidei possit manere vera, vel per scientiam, vel per fidem humanam, non tamen per fidem infusam, quae omnino destruitur per talem infidelitatem.

Obj. 2.º Potest amari Deus, quin cognoscatur ut remunerator, modo cognoscatur ut summe amabilis: ergo sine fide de Deo remuneratore potest elici actus charitatis: ergo sine tali fide potest dari justificatio et salus. Confirm. Amor tendens in Deum ut remuneratorem est tantum amor concupiscentiae: ergo non esset actus charitatis.

(1) Rom. III, 25.—(2) D. 12, de fide, sect. 3, n. 12.—(3) Ad Philadelph. (4) I Joann. II, 2.—(5) De fide, D. 12, sect. 3, n. 3.

Resp. Neg. *antec.* Nam vel ad amorem amicitiae requiritur (ut nonnulli volunt, et quidem de necessitate morali probabilissime in natura lapsa) ut cognoscatur amicus redamans ac proinde remunerator: vel certe Deus, quod probabilius dicitur, statuit in praesenti providentia non concurrere ad actum amoris justificationis nisi praecedat actus fidei de Deo remuneratore. Ad confirm. Conc. totum, sed nihil contra, quia amor charitatis non tendit in Deum remuneratorem, ut motivum, sed tantum praesupponit fidem de illo, prius elicitam tamquam conditionem saltem ex ordinatione divina praerequisitam.

Obj. 3.^o Saepius Scripturae necessitatem fidei in Christum explicitae videntur inculcare: Marc. XVI, 16; Rom. III, 22; Galat. II, 16; Act. IV, 12; Joann. III, 14 et XVII, 3 ubi ait: *Haec est vita aeterna, ut cognoscant te solum Deum verum, et quem misisti Jesum Christum.*

Resp. Inculcant necessitatem fidei explicitae in Christum, semper in re; neg. In re vel in voto; conc. Si objecta testimonia, ut sonant, intelligerentur pro semper de fide explicita in Christum nimium probarent; nam ex Act. sequeretur neminem salvandum, nisi explicite venerandum nomen Jesu confiteretur; ex Joanne, salutem illum non obtenturum, qui non aspexisset Jesum crucifixum, etc.: quare dicendum est hujusmodi testimonia inducere quidem per se necessitatem fidei explicitae in Christum, non tamen ita absolute et pro semper, ut non sufficiat aliquando fides realis Dei existentis et remuneratoris, quando Christus v. gr. inculpabiliter ignoratur, cum Apostolus ad Hebraeos (1) alios articulos non exigit credere, ut absolute placere possimus.

Obj. 4.^o SS. Patres exigunt fidem explicitam de Christo, ajunt enim: «Omnes sancti salvandi sunt per Christum, in eum sperantes (2).» «Ea quippe fides justos sanavit antiquos, quae sanat et nos, id est, mediatoris Dei et hominum hominis Jesu Christi, fides sanguinis ejus, fides crucis ejus, fides mortis et resurrectionis ejus (3).» «Neminem etiam ante Christum sine fide in illum, coronam martyrii consequi potuisse (4), etc.»

Resp. Sicut ad argumentum praecedens; universim SS. Patres exigunt eam fidem tamquam necessariam necessitate mediis in re tantum; neg. In re vel in voto; conc. Ad eorum loquutiones repono, illas non esse intelligendas ut jacent, alioquin nimium probarent, siquidem efficerent contra communem sententiam theologorum etiam in lege antiqua fuisse necessariam in re et quidem omnibus

(1) XI, 6.—(2) S. Ignatius M. ad Philadelph.—(3) S. Augustinus L. de nat. et grat. c. 44.—(4) S. Gregor. Naz. Or. 15, de Machab.

salvandis fidem explicitam Christi cum reliquis, quae de eo in Evangelio narrantur, sunt igitur Patres explicandi de necessitate saltem in voto, non vero semper de necessitate in re. Possunt etiam aliquando exponi: vel de necessitate non negandi Christum aut SS. Trinitatem;—vel de fide entitative sumpta, quae est Christi quamvis non sit explicite de Christo;—vel de necessitate non respectu cujusque fidelis, sed tantum respectu Ecclesiae, ita ut membra ejus praecipua habeant fidem horum mysteriorum, ut de patriarchis antiquis supra docuimus (1).

Inst. S. Augustinus apertissime ait (2), etiam ante Christi adventum «nemini concessum esse» pertinere ad caelestem Jerusalem «nisi cui divinitus revelatus est unus mediator Dei et hominum, homo Christus Jesus.» Ergo a fortiori idem tenendum est in lege nova.

Resp. Propter allatum testimonium et alia similia, in omni sententia communiore theologorum benigne interpretari oportet S. Augustinum; nimium enim et ultra id quod postulant ipsi, qui fidem Christi necessariam semper in re faciunt in lege nova, exigeret; nam eodem modo loquitur Augustinus (3) de necessitate Baptismi pro catechumenis, jam vero quis dicet S. Augustinum asserere catechumenum in Christum credentem non habuisse sufficientem fidem ad charitatem habendam salutemque obtinendam? En tamen ejus verba: «In quibusdam tanta est gratia fidei, quanta non sufficit ad regnum caelorum, sicut in catechumenis, sicut in ipso Cornelio, antequam sacramentorum communione incorporaretur Ecclesiae.» Intelligendus est ergo Augustinus de casibus communiter contingentibus, cum est possibilis major instructio et realis susceptio sacramentorum; tunc enim si quis haec negligeret vel respueret, non esset in eo tanta fidei gratia quanta requiritur ad vitam; pro aliis vero casibus verba Augustini exponenda sunt de sola necessitate fidei implicitae et in voto, non autem de explicita in Christum, cum haec inculpabiliter est impossibilis (4).

Obj. 5.^o Tridentinum (5) ait justificari homines: «credentes vera esse quae divinitus revelata et promissa sunt, atque illud in primis, a Deo justificari impium per gratiam ejus, per redemptionem, quae est in Christo Jesu.» Et Symbolo athanasiano confitemur: «Haec est fides catholica, quam nisi quisque fideliter, firmiterque crediderit, salvus esse non poterit.» Fides autem quae in symbolo hoc explicatur est fides SS. Trinitatis et Incarnationis. Ergo...

(1) Thes. III. Dico I.—(2) *De civ. Dei*. L. 18, c. 47.—(3) L. 1, ad *Simplicianum*. Q. 2.—(4) Vid. *Lugonem*. D. 12, nn. 100-102.—(5) Sess. 6, cap. 6.